

Heresiarchas, veram Theologiam, Chrysiptis suis mandris, in scepticam materialiam convertentes, Pestes Ecclesie verae & sempiterna, Deus unus Jehova, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, à limitibus Christianis procul depellat, illisq; mentē largiatur meliorem. Cui Deo nostro Trinuni semper colendo & adorando, sit honos, laus, & gloria, in omnia seculorum secula. Amen.

Tibi Laus Domine JESU.

AD ERUDITISSIMUM DOMINUM RESPONDENTEM PRÆSIDIS HEXAMETRO-JAMBICUM.

O Ceani ad littus puer aliger hauserat undam,
Parvæq; identidem Scrobi commiserat:
Quò secum solus siccâ spatiatus arenâ
Augustus AUGUSTINUS, haud magis sui
Viribus ingenii sese comprehendere posse
Trinunitatis conjicit mysterium,
Quàm si quis parvâ mare se concludere fossâ
Exhauriendo cogitet vastissimum.
Tutamen Ô STOLLI, veluti sacer aliger alter,
Ex Israëlis fonte limpidissimo.
Totius arcani penetrans recludis abyssum |
Trinunitatis, interest quantum omnium,
Ut constet sacrosancta fides & vera salutis
Scientia, atque recta vitæ regulæ.
Ofelix STOLLI, Juvenum pulcherrime ocelle,
BORUSSIÆ, decusq; Christi Ecclesiæ;
Per te stat fundamentum Baptismatis, atq;
Foedus, quod icit omnibus suis Deus.
Temetuant Furia, Socinus & horreat Orcus,
Et pravitatis quidquid hæreticæ cluit.

C 2

PERI-